Quelle: https://manuscripta.at/?ID=793
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



eum summi sacerdotes in multis Pylatus autem rur
sum interrogauit eum dicens Non respondes quicquam
Vide in quantis te accusant Ihesus autem amplius nichil res
pondit ita ut miraretur pylatus Per diem autem festum
dimittere solebat illis unum ex uinctis quemcumque
petissent Erat autem qui dicebatur barrabas qui cum
sediciosis erat uinctus qui in sedicione fecerat homici
dium Et cum ascendisset turba cepit rogare sicut
semper faciebat illis Pylatus autem respondit eis et dixit
Vultis dimittam uobis regem iudeorum Sciebat enim
quod per inuidiam tradidissent eum summi sacerdotes
Pontifices autem concitauerunt turbam ut magis barra
ban dimitteret eis Pylatus autem iterum respondens ait illis
Quid ergo uultis faciam regi iudeorum At illi iterum
clamauerunt Crucifige eum Pylatus uero dicebat eis
Quid enim mali fecit At illi magis clamabant
Crucifige eum Pylatus uero uolens populo satisfacere
dimisit illis barraban et tradidit ihesum flagellis
cesum ut crucifigeretur Milites autem duxerunt eum
intro in atrium pretorii et conuocant totam cohor
tem et induunt eum purpura et imponunt ei
plectentes coronam de spinis et ceperunt salutare
eum Aue rex iudeorum Et percuciebant caput eius
harundine et conspuebant eum et ponentes genua